

si Nobiles, si Aulicos, si oppidanos, si agricolas, pertrahere velis in partes; tanto felicius exprimitur in hoc Auctore, quanto promptiore Seculi applausu jam vulgaverat Iconem Animorum. Selenissa quam compendiose testatur mores foeminarum in Aulae tropicis eminentium; sive coleret fidem adversus Regem & Argenidem, sive tacita invidia premeret Timocleam, sive Radirobani venalis inclinaret in perfidiam. Argenis quam arguta laborat suspicione, sive taceret notitiam Poliarchi, sive quaereret hujus arcani Ministrum Arfidam, vel Timonidem, sive Timocleam nondum judicaret negotiis secretioribus maturam, quod demum in Cubiculum fuisset recepta: Quando introducitur Miles, quando Sacerdos, quando Praefectus aut Consiliarius, ne dicam de Latronibus & Rusticis, quorum ingenia non legenda describere, sed spectanda ostentare videtur.

XLIV. Obstat rerum prolixitas, quo minus liceat absolvere, quod extremo digito notatum est. Nunc enim de Prudentiae Consiliis videndum, quae nobiliorem & potiore in Politicis paginam efficiunt. Et vero, qui Galliae Statum superiore seculo turbulentissimum revocat in memoriam, duas Politicorum sectas floruisse meminerit, Machiavellistarum, qui omnia transcribebant Principibus, & Monarchomachorum, qui iisdem nihil relinquebant.

XLV. Medium inter utrosque locum tueri visus Barclajus, eo tamen inclinatur, ut absolutum Regis Imperium optare videatur. Cui fundamenta omnia Consilia, omnia corruptae Siciliae remedia superstruuntur: tanta quidem contentione, ut abhorreat simul ab isto administrationis modo, qui Proceribus & Statibus aliquam in Consultationibus Aristocratiae faciem relinquit. Et cum praesupponat regnum negligentia & securitate Regis ita corruptum, ut medicina prorsus expedita indigeat; seu ut clarius loquar, cum praes oculis haberet Galliam, ea dixit, ea commendavit, quae nostris adhuc temporibus Galliam reddunt Europae formidabilem. Unde mirum haud est, in deliciis hunc libellum fuisse etiam Cardinali Richelieu Consiliorum tali modo formandorum nobilissimo Architecto.

XLVI. Caeterum ad ea Capita revocat suam Doctrinam, ut praeter ceteris doceat, non quantum curari debeat Civium Salus, quae semel tangitur in materia de judiciis, & Advocatis nimium copiosis; sed quantum constet imperantis securitas. Unde ostenditur, quid valeat Regis Existimatio, quid prosint arces earumque Praefecti, quid statuendum de per-